



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 166. Eo quod audierat multa de eo. v. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

fons vitæ, vena aquarum viventium quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ, de terra deserta, in via, & in aquosa vi videam virtutem tuam & gloriam tuam, & satiet ex aquis misericordiar tuar. Sitio Domine, fons vitæ es, satia me, sitio, Domine, sitio te Deum vivum. O quando veniam & apparebo Domine ante faciem tuam.

§. 166. Eo quod audierat multa de eo. v. 8.

Ibi causam habes, quam Herodes in libenter viuendo Domino habebat, quid autem audiisset iam ante insinuauit. Sed quid est hoc? Propterea velle videre aliquem, quod multa de illo audieris? Quantum sapio & quantum capio, malum motiuum est ad videndum; quia motiuum bonum debet tendere in aliquem finem adhuc obtinendum; Audiisse autem multa de aliquo iam obtentum est in præterito tempore, in hoc vti futurum adhuc non potest tendi, vti prudentes homines solent intendere. Si Herodes iste volens videre Dominum intendisset auditionem suam perficere visione vti Regina Austri in videndo Salomone, bene intendisset, iam quid dicam melius nescio, quam quod Christus de eodem dixit, Vulpes est.

Domine, qui viam virtutis & veritatis derelinquunt; quidquid agunt, impingunt; gloriam quærent, & ignominiam inueniunt; sperant voluptatem & metuunt dolorem. Nolo imposturam viam illorum, nolo consilium, nolo cathedras, melius tecum mihi erit IESV.

§. 167. Et sperabat signum aliquod videre, ab eo. v. 8.

Antea vanum erat in Herode motiuum, nunc etiam viciosum de promptum è pœnu curiosorum; adeo, vt dicat Egesippus, quod Herodes iuravit Christo per coronam suam, quod eriperet eum de manu Iudæorum, faceretque eum Hæredem regni sui, si modo vellet coram eo facere aliquod miraculum, quia multum curiosus erat. Vnde etiam euenit in casu contrario, quo signum nullum fecit, quod contrarium regalis dignitatis ludibrium imposuerit Christo tanquam homini, qui non saperet, nec ageret quod posset, cum ei spes regni tam clare proponeretur.

O Deus arce à me obsecro & populo tuo curiositatem, quia multi per eam perierunt & inciderunt in ea, ad quæ missis impertinentibus libi attendere debuissent, & cauere, vti iste, qui cælum speculans incidit in puteum.

§. 168. Intec-